

CONCIO III.

CAUSÆ PASSIONIS DOMINICÆ.

I. Causa diabolus. — II. Judas proditor. — III. Judæi. — IV. Pilatus, ex timore. — V. Decretum Dei. — VI. Filii Dei obedientia erga Patrem, et zelus honoris paterni, amor et misericordia erga homines. — VII. Peccatum.

THEMA.

Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc. II. Reg. XII.

Dio sub finem libri XLIV. scribit M. Antonium cum de cæde Caii Cæsaris præsentem occisi corpore et ad spectandum proposito, ad populum perorasset, et ad ultimum ostensa Caii veste sanguine madente dixisset: *Heu mihi canos tuos sanguine fœces, heu vestem tuam laniatam: quam ut videtur in hoc solum acceperas, ut in ea confodereris?* adeo commovisse populum universum primo commiseratione, ira deinde, ac tandem furore, ut percussores Cæsaris quæsitum ad necem irent. Christiani auditores, proponit hodie vobis Ecclesia mater vestra vestem seu imaginem Domini et imperatoris vestri Christi, sanguine madente et vulneribus concisam, simulque flebili voce canit: *Ecce lignum crucis, in quo salus mundi pendit; venite adoremus.* Hæc cum cernitis et auditis dilectissimi per immane scilicet facinus tot vulneribus confossum esse Dominum et Regem, imo Deum vestrum, fierine potest ut non commoveamini, primo ad commiserandum Domino vestro, dulcissimo et innocentissimo, deinde ad indignandum tanti sceleris patratori? Fierine potest, ut deicidam istum ad necem non quæritis? Ad supplicium non rapiatis? Quid quæso dixit David, æquissimus ille rex, cum audiit pauperi viro ablatam a divite unicam oviculam et mactatam? *Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc.* At quanto gravius est occidere unicum Dei Filium quam oviculam unam? Itaque si amamus Christum communem nostrum Dominum, inquiremus necis ejus machinatores, et de iis condignam summam ultionem. Scribit P. S. Simon Sab. soc. Jesu (in nova relat. hist. Indiæ orient. in lit. annuis P. Pimentæ 1898. fol. CXV. regulum quemdam gentilem, Obonem nomine, cum audisset crucem, et ejus indignam morte muletatum Dei Filium, ira accensum dixisse: *Ecquis tam immane facinus perpetrare ausus est? Quæ natio? Quibus in terris habitat? Quo nomine vocatur?* Et quasi illico penam exacturus, quæsit, an esset adhuc in terris aliqua vena superstes, vel reliquæ illius gentis, quæ Christum occiderat. Unde placari

CONCIO III.

debut homo dicendo, Deum ultro se morti obtulisse. Sed contra ille, *Esto, inquit, an vero ill. Deum vera prædicantem occidere debuerunt?* Itaque nunc quæramus, quis hoc malum fecerit?

I. Imprimis negari non potest diabolum instigasse Judam et Judæos ad perdendum Christum. Judam quidem, siquidem Joan. XIII. dicitur *mississe in cor Judæ, ut traderet Dominum:* et Luc. XXII. *intrasse in Judam.* Judæos tot supplicia et tormenta inusitata ex se potuisse non invenire, adeoque in Christum insanire nisi a diabolo docti et stimulati fuissent. Quisquis vero consilium dat, quisquis instigat ad necem alterius, causa necis est. Sed cur id fecit dæmon? Non certe ob aliquam Christi culpam; siquidem Domini ait Joann. XIV. serm. in cœnaculo habito: *Venit princeps hujus mundi, nimirum per suos satellites, Judam et Judæos, me comprehendere, etc. et in me non habet quidquam: sed* (en causam) *ne cognoscat mundus quia diligo Patrem.* Non habet diabolus imperium nisi in peccatores ut eos accuset, sub jugum mittat, affligat, etc. Christus autem peccatum non fecit, nec facere potuit? Quia, Deus erat. Cur ergo ejus necem procuravit dæmon? Respondetur id fecisse primo ex odio, quo eum persequeretur quod videret non solum vinci a se et in peccatum præcipitari non posse, sed etiam alios innumeros homines per ipsum a peccati servitute abstrahi. Quemadmodum enim olim Henricus Angliæ rex dicebat, se cum uno tantum sacerdote (Thoma scilicet episcopo Cantuariensi, qui impiis ejus decretis et iniquis legibus constanter resistebat) pacem habere in regno suo non posse. (Quo verbo veluti face impii ejus ministri accensi sunt ad persequendum et necandum sanctum virum :) ita omnino diabolus, quia in regno suo cum uno Christo pacem habere non poterat, quod videret illum resistere impio suo dominatui, et plurimos a se abstrahere; inde accendit servos suos ad Christum e medio tollendum.

Secundo, ut hoc pacto per extremam calamitatem et afflictionem Christum ad peccatum aliquod impatientiæ vel murmurationis, vel vanæ gloriæ aut superbiæ, etc. permoveret. Quemadmodum enim egit cum S. Job, ita fere eum Christo. Videbat se in Job speram ludere suis tentationibus; ideo tentavit ultimum medium, tormenta videlicet. Unde ait Deo: *Alioquin mitte manum tuam et tange os ejus et carnem, et tunc videbis, quod in faciem tuam benedical tibi,* Job II. Traditus ergo est Job potestati dæmonis et ab eo percussus ulcere pessimo; illusus quoque ab uxore; sed *in omnibus his non peccavit Job labiis suis.* Similiter cum vidisset dæmon se nullis ar-

IN DIE PARASCEVES.

tibus inducere Christum ad peccatum potuisse: tentavit extrema, et nova tormentorum genera excogitavit torquendum illum, quodque acrius telum erat, sævis et miris acerrimisque ludibriis interim vexavit, variisque artibus invitavit ut vel miraculum aliquod ex vana gloria vel doloris impatientia aut vindictæ appetitu faceret, vel de cruce descenderet: vel saltem aliquod murmurationis, impatientiæ aut maledictionis, verbum contra Deum aut Judæos promeret. Sed frustra laboravit, tamen, se obfirmavit Christus in humilitate, mansuetudine et patientia, ut videri posset omni sensu carere, nisi dolores suos contestatus esset illa voce: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me.*

II. Causa Judas fuit, quia Christum Judæis tradidit. Tametsi enim credibile est non existimasse Judam, occidendum esse Christum (siquidem videns eum condemnatum, præ tristitia laqueo se suspendit) nihilominus quia Christum hostibus suis, quos sciebat Judas crudelissimos, eique infensissimos, tradidit: ad necem tradidisse censetur: quia qui dat causam, dat effectum. Hac ratione qui se inebriat, peccat mortaliter et occidit animam suam, quia exponit se periculo rixæ, libidinis et multorum peccatorum, dum opprimit rationem. Sed quid movit Judam ad tradendum magistrum? Nihil certe in ipso reprehensione dignum viderat: sed magistrum et exemplar omnis perfectionis seiverat; unde ipsemet confessus est: *Peccavi tradens sanguinem justum.* Quid ergo eum movit? Furtum et avaritia: cum enim fur esset et de loculis Christi suæ dispensationi creditis furari consuevisset: vidissetque in domo Simonis pretiosum unguentum effundi a Magdalena super Christi caput, inde murmurabat, optans id venundari, et in loculos suos pretium reponi ex quo furari posset. Cum ergo spe hujus prædæ fraudatus esset, decrevit vendere magistrum quo pretium id recuperaret: juxta communem pp. sententiam, quæ colligitur ex c. XXVI. Matth. ubi murmuratio Judæ immediate præmittitur ejus traditioni. Sed quis mortalium non videt, quam hæc frivola et iniqua causa sit, tradendi justum et optimum magistrum?

III. Sunt Judæi, Christum falso accusantes et importunis clamoribus præter jus et fas ad necem postulantes, adeoque Pilatum compellentes ad Christum condemnandum. Unde Augustinus super Ps. LXIII. ait: « Non dicant Judæi: Non occidimus Christum. Etenim propterea eum dederunt judici Pilato, ut quasi ipsi a morte ejus viderentur immunes. » Et post pauca: « Ille dixit in eum sententiam, et jussit eum crucifigi, et quasi

ipse occidit: et vos o Judæi occidistis? Unde occidistis? Gladio linguæ; acquistis enim linguas vestras. Et quando percussistis, nisi quando clamastis: Crucifige, crucifige? » Multo tempore merito suspicabantur visis ejus miraculis, ipsum esse Christum; unde conscientia urgente dicebant: *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Interrogarunt ergo eundem demum in judicio, et iterato quidem. Asseruit Christus secundo: *Vos dicitis quia ego sum.* Sed quid ad hoc Judæi: *Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi enim audimus de ore ejus, inquit.* Verum utique dicebant; sed tantum abest ut dicenti crederent ut hanc ipsam confessionem in causam mortis traherent. Nimirum Christus illis e medio tollendus erat, seu jure, seu injuria. Quæ hujus rei causa? Invidia imprimis, quod opere et verbo ostenderet se Filium Dei, et hanc in titulo crucis scribi voluerunt. Hinc uti fratres Josephi audientes ejus somnia, quibus denuntiabatur futurus eorum dominus, inde causam odii et invidiæ sumpserunt ad perdendum eum dicentes: *Numquid rex noster eris, aut subjiciemur ditioni tuæ?* Gen. XXXVII. Ita fecerunt Judæi Christo.

Secunda odium, quod in eorum vitia acrius invectus fuerit, eaque ad oculum eis demonstravit. Hinc clamant: *Tolle, Tolle,* q. d. gravis est etiam nobis ad videndum. Odit enim pectinem, quisquis est scabioso capite. Sed verissime ait Dominus: *Quia odio habuerunt me gratis.*

IV. Pilatus iniquissimo judicio contra propriam conscientiam Christus condemnans. Etenim innocentiam Christi et vidit et testatus est non semel: condemnavit tamen, quia importunis Judæorum clamoribus obruebatur, minitantibus ei indignationem Cæsaris, quod videlicet aliquem, qui se regem diceret, toleraret eo loci, ubi alius rex præter Cæsarem non agnoscebatur. Sed præterquam quod Pilatus ipse vidit, causam hanc frivolam et nullam esse, manifeste patebat; et Christus ipse præside respondebat, regnum ejus de hoc mundo non esse; siquidem nullam pompam, nullum satellitium haberet aut habuisset unquam. Pilatus igitur vano correptus timore cum tamquam judex absque ullo respectu aut timore procedere secundum jus deberet: ne perderet amicitiam Cæsaris, turpissimum commisit errorem, et incurrit inimicitiam Dei, jusque violavit, innocentem morte condemnans. *Sed in comparatione illorum* (Judæorum) *inquit Augustinus ubi supra, multo ipse innocentior. Institit enim quantum potuit, ut illum ex eorum manibus liberaret.* Quæ cum ita sint, satis opinor videmus, quanto jure odisse nos conveniat deicidas istos.

Sed vero causæ istæ, quas diximus, solum instrumentales sunt et veluti mallei ac clavi ad configendum Christum : qui sane nisi ab aliquo principali agente et motore elevati fuissent ad feriendum Christum, nihil omnino efficere contra illum potuissent. Quid enim potuisset Sathanas, quem uno verbo abigere et ex corporibus humanis ejicere poterat ac consueverat? Quid Judas, cujus proditorem avertere, quem mille modis perdere in momento potuisset? Quid Judæi, e quorum manibus toties elapsus est et elabi adhuc facillime, quosque non minus omnes perdere et mittere in gehennam potuisset? Quam eisdem verbo prostravit in Oliveto, vel flagello eiecit e templo? Quid Pilatus, qui non habuisset in eum potestatem ullam, nisi desuper ei data esset? Imo nisi quam ipsemet ei dedit? Nullæ igitur seu terræ seu orei vires Christum tenere potuissent, nisi aliud quoddam majus vinculum et primaria causa fuisset. Et quæ tandem illa?

V. Prima, licet secundaria, decretum et justitia Dei Patris. Ipse enim ait Isa. LIII. *Propter scelus populi mei percussit eum.* Sed quamobrem percussit Deus Filium ob scelus alienum? Respondeo alterutrum decuisse fieri, aut ut Dei Filius mactaretur morte temporali, aut ut genus humanum mactaretur morte æterna: elegisse igitur Deum mortem Filii sui. Sed quæres. Primo, quare non potius genus humanum quam Filium, cum ipse innocens esset, illud vero nocens? Vel cur debitum generi humano non libere remisit? Vel cur non aliquam modicam satisfactionem ab eo exegit: vel cur non alicui angelo aut homini gratiam capitis concessit, qui pro omnibus satisfaceret? Respondeo decere ut Deus mundi gubernator, attributa sua ita mundo ostendat et impertiat, ut unum ab altero non ostendatur, v. g. ita fit misericors, ut justitiam non offendat, et contra. Sic enim decet principem neque nimis severum esse, ne dicatur tyrannus, neque nimis conniventem, ne dicatur stolidus et iniquus. Itaque non conveniebat. Primo, ut Deus (tametsi per absolutam suam potentiam id facere poterat) omnino gratis, remitteret hominibus gravissimas et infinitas pondere et numero injurias, hominemque reciperet in amicitiam suam absque ulla compensatione facta; primo, quia fuisset quidem hæc ingens misericordia, sed absque justitia. In bono autem regimine ita exerceri misericordia debet, ut simul fiat justitia, et gravissima ac frequentissima scelera non remaneant impunita: alioquin et princeps facile contemneretur, et alii parum cauti redderentur. Potest quidem princeps reo capitis omnino con-

donare supplicium, ita ut nemini injuriam faciat: sæpe tamen id non expedit neque convenit ut omnibus aut pluribus id faciat, præsertim cum non putantur rei inde meliores, sed peiores futuri. Non conveniebat igitur ut omnibus hominibus omnino gratis remitterentur infinita mole et numero peccata. Præsertim quia talis remissio vel insinuanda erat hominibus in vita, et tunc liberius peccassent, videntes quod nihil constitisset Deum hæc remissio. Vel in morte, et tunc homines semper perplexi vixissent, incerti num Deum iratum aut placatum sibi haberent, et inde in plura mala ruissent. Deinde non decebat ut justitia Dei maneret semper læsa et violata per peccatum.

Secundo, durum etiam videbatur extremum alterum, ut videlicet totum mundum pro meritis castigaret, et perderet in gehennam sicut merebatur? Sic enim non fuisset relictus locus misericordiæ, ut se exsereret et patefaceret super omnia Dei opera; siquidem *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Non fecisset quidem ulli Deus injuriam, si quemadmodum angelos prævaricatores, omnes pro merito mulcasset æterno supplicio, quia sic volumus, dum ex depravata nostra voluntate in omni generis vitia prolapsi sumus; quia tamen in ratione delicti differentia est inter homines et angelos, et illi magis venia digni quam hi: quia etiam longe major gloria resultat Deo ex misericordia, quam ex justitia; (siquidem in damnatis perit memoria et laus Dei,) qui vero ex misericordia Dei salvi facti sunt, perpetuo laudant Deum et annuntiant aliis gloriam et bonitatem Dei. Unde Psalm. VI. ait David: *Salvum me fac propter misericordiam tuam, quoniam non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?* Et Psalm. XXIX. *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Hinc durum nimis videtur fuisse misericordiæ divinæ, si Deus pro merito castigasset humanum genus tartareo illo igne in omnem æternitatem. Sed cur innocens pro nocente, cum non minus Deo displiceat pati innocentem quam impunem esse sontem? Respondeo Deo innocentis poenam non esse gratam, sed ejus charitatem et misericordiam, cum se pro reo ad satisfaciendum offert; veluti cum inter homines pro debitore in carcerem detruso, promittit aliquis solvere illius debita. Dæmonis et Pythiæ amor mutuus, quo alter pro altero vadem se dederat in carcerem usque ad certum diem, et pro reo (qui tamen ipso die redierat vadem liberaturus) mori jam paratus erat, ita placuit Dionysio tyranno, ut utrumque liberum dimiserit

et in societatem suam receperit, Valer. Max. l. IV. cur non item placeat Patri similis Filii charitas, qua hominum delicta suscipere in se vult?

Tertio, non conveniebat etiam ut loco omnium puniret aliquos, quemadmodum in castris sæpe fieri solet. Hoc enim non decuit, quia non est personarum acceptor Deus. In castris si id fit, propterea fit, quia ibi duces indigent militibus, quod si ergo integras copias pro merito semper punirent, unde illis milites forent? Alia ratio apud Deum, qui non indiget hominibus.

Quarto, neque expediebat, ut aliqualem tantum et modicam satisfactionem a singulis expeteret: licet enim hæc fuisset magna misericordia, non tamen competens justitia, quia finiti ad infinitum nulla est proportio. Potest homo committere peccatum infinite malitiæ quia hæc desumitur a persona offensa: sed non opus infinite bonitatis, quia hæc desumitur a persona operante. Ad hæc non potuisset inde hominibus innotescere gravitas peccati: unde susque deque habuissent committere peccata, quæ facili expiantur remedio.

Quinto, poterat quidem Deus uni hominum gratiam capitis conferre, vel etiam alicui angelo, qui pro hominibus omnibus satisfaceret, sed et hoc nihilo convenientius erat quam priora: quia purus homo non poterat ex rigore justitiæ satisfacere, angelus non debebat; quia alterius naturæ, quæ non peccarat: nec etiam poterat, quia virtus ejus finita etiam et certis limitibus circumscripta est. Ad hæc debebat uterque a Deo prius mutuare gratiam: sine qua nulla opera possunt esse Deo accepta. Unde bene Apoc. V. dicitur non esse inventum neque in celo neque in terra neque sub terra, qui aperiret librum præter agnum, qui occisus est. Denique quia maxima gloria et infinitum beneficium est redemptio generis humani, non debebat Deum gloriam hanc alteri dare, quam sibi. Cum enim ipse dator sit omnis boni, voluit nos sibi omnia debere atque in omnibus gratias agere. Quare qui noster creator fuit, noster quoque redemptor ut esset decebat: juxta id Isa. XLVI. *Ego feci, ego feram.* Et id Anselmi: *Ne inter creatorem et redemptorem tuum divideres amorem, idem Dominus creator et redemptor esse voluit.*

Quoniam igitur Deus omnia semper modo convenientissimo agit, media autem prædicta satis convenientia non erant: adinvenit Deus rationem, qua duas illas sorores misericordiam et justitiam, perpetuas divinatorum operum comites, ita in hoc etiam opere conjungeret, ut onus satisfactionis et justitiæ Filio suo imponeret, misericordiam autem servo, generi videlicet

humano conferret. Misericordiam ostendit, dum reos liberos abire fecit; justitiam, dum eorundem obsidem, Filium suum acerrime plexit: misericordiam, dum acceptare voluit satisfactionem ab eo, qui non deliquerat; justitiam vero dum sufficientem et abundantem accepit ab homine saltem, et tali, cui promiserat acceptationem, Isa. LIII. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, etc.* Et hoc denique est quod David dixit: *Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatae sunt,* Ps. LXXXIV. Litigabant hæc virtutes inter se coram cœlesti Salomone, (uti in figura duæ illæ mulieres, III. Reg. III.) quarum quælibet infantem, id est, hominem petebat. Justitia allegabat universale Dei decretum, quo omnes prævaricatores sunt puniendi: item decretum Dei: *Quacumque hora comederis, morte morieris.* Misericordia contra dicebat: Ad quid ergo me genuisti Pater, cur moritura? Nulla est enim tua misericordia si non aliquando miserearis. Justitia dicebat misericordiæ: Quid tu prævaricatori potius, quam sorori judicis esse parcendum? Respondet misericordia: At tu neutri parcis: sed tanta indignatione sævis in prævaricatorem ut involvas pariter et sororem. Igitur divinus Salomon præcepit dividi infantem et partem dari justitiæ, partem misericordiæ. Sic fere Bernardus, serm. I. de annuntiatione. Sed quam ob causam onus satisfaciendi Filio innocenti impositum? Vel quis Filium cogere potuit ut hoc onus in se susciperet? Dico ergo.

VI. Secunda causa est Filii Dei obedientia erga Patrem, zelus honoris divini, et amor erga hominem. Obedientia quidem, quia videns Patris, imo totius SS. Trinitatis consilium, decernentis redemptionem generis humani eamque talem per quam misericordiæ et simul justitiæ divinæ fieret satis, proinde ab aliqua divinarum Personarum faciendam: illico Filius sese obtulit Patris imperium promptissime facturus; uti præfiguratum videtur in Isa. e. VI. ubi cum propheta mysterium SS. Trinitatis vidisset, et vocem Domini audisset dicentem: *Quem mittam et quis ibit nobis?* respondet Isaïas: *Ecce ego mitte me.* Sic enim Dei Filius ultro se obtulit ad exequendum Patris decretum, imo suum etiam. Ita Ps. XXXIX. in persona Christi ait David: *Holocaustum et pro peccato non postulasti: tunc dixi. Ecce venio.* q. d. ex quo decrevisti, o Pater, nolle admittere sacrificia veteris legis pro expiatione peccatorum, tunc dixi: *Ecce ego venio,* ut per sacrificium corporis et sanguinis mei reconciliatio impleatur. Cæterum Christus, in quantum Deus, in seipsum decrevit sententiam mortis; in quan-

tum vero homo acceptavit, tamquam præceptum Patris, ex obedientia. Voluit autem ex obedientia pati et mori. Primo, ut *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita et per unius obediendum justis constituentur multi*, ad Rom. V. Secundo, ut acceptissimum Deo offerret sacrificium: *Melior est enim obedientia quam victima*, I. Reg. XV. Denique, ut omnibus hominibus obedientiæ exemplum præberet. Sed heu quanto constitit illi hæc obedientia! Optime id expressum est, Gen. XXXVII. in figura Josephi, cui dicebat pater: *Fratres tui pascunt oves in Sichimis: veni mittam te ad eos*. Quo respondente: *Præsto sum*, ait ei: *Vade et vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos et pecora, et renuntia mihi quid agatur*. Sed quid actum? Eo viso colloquebantur fratres: *Ecce somniator venit! Venite occidamus eum, etc. Confestim igitur, ut pervenit ad fratres suos, nudaverunt eum tunica talari et polymita miseruntque eum in cisternam veterem*. Mystice secundum Ambrosium, Augustinum et alios: Missus est Christus ad eos, qui dorsum Christo ostenderunt; (nam Sichem, dorsum exponitur) illi vero exuerunt eum tunica, non illa solum inconsutili, sed etiam tunica carnis suæ, et miserunt eum in lacum, id est, mortem et sepulcrum. Præsciebat hoc totum Christus: (Joseph autem nesciebat quid in se molituri essent fratres) nihilominus imperio Patris, quo ad nos ablegatus erat, promptissime obedivit.

Deinde zelus honoris paterni; unde ipse Patri dixit: *Zelus domus tuæ comedit me*, q. d. tamquam ignis vehemens corripuit et consumpsit me, Joan. II. Cum enim infinito amore prosequeretur Filius Dei Patrem: quomodo tam graviter læsam divinam majestatem æquis intueri oculis poterat?

Voluit igitur paternam illam injuriam ex rigore justitiæ compensare adeoque abolere. Sed qua ratione? Suapte morte et sanguine. Sed cur non potius ultionem sumpsit de reis ad instar Eliæ, qui zelo honoris divini occidit quinquaginta prophetas? Respondetur primo, licet totum humanum genus extinxisset et infernum detruisset, non fecisset æqualem injuriæ infinitæ compensationem. Deinde obstitit alter zelus animarum lucrandarum, quas perdere nolebat. Pugnabant in corde Filii duo isti zeli, honoris paterni tuendi, et salutis humanæ procurandæ; idcirco sicut mater videns filium stricto ense invadi ab offenso patre, mediam se interponit, quia in ea certat mariti et filii amor; ita et Dei Filius, cum patris sui honorem summe imprimis amaret, homines item servare cuperet, urgente utrinque amore, medium se constituit inter iram

Patris et homines, dum et læsæ divinæ majestati per semetipsum facere satis et genus humanum servare voluit. Unde in cruce arbitror mori sublimem voluisse, ut intelligeremus ipsum inter cælum et terram, Deum et hominem mediatorem esse, qui alas suæ per nos extendens protegere nos a fulminibus Patris velit, eaque in se suscipere. Quantum uteretur Christus hoc utroque zelo, ostendit ipse in suscitatione Lazari, Joan. XI. ubi primo *infrenuit spiritu et turbavit semetipsum*, ad ostendendum zelum honoris divini, deinde lacrymatus es, ad ostendendum amorem erga peccatores, quorum typus erat Lazarus.

Amor denique et misericordia erga homines. Nisi enim hic fuisset, supplicium illis debitum in se non suscepisset, sed processum suum justitiæ divinæ in reos permisisset. Nihil autem in homine erat, quo meretur tantum beneficium, vel unde Filio Dei aliquid emolumenti posset accedere. Merus et gratuitus amor fuit, qui persuasit illi, ut pro debitoribus, qui solvendo non erant, vadem se offerret. Unde tamquam a fidejussore exegit Deus debitum. Alterutrum sane faciendum erat, ut justitiæ divinæ satisfaceret, aut ut peccatores æterna morte plecterentur, aut ut Dei Filius rigori justitiæ satisfaceret. Quid faceret hic Dei Filius? Peccatores infiniti erant: pœna illis decreta æterna et horrenda erat. Contra si ipse pro iis pœnam subiret, homines per ipsum exaltandi et salvandi erant. Vicit igitur amor: *Et vidit Dei Filius requiem cæli quod esset bona, et terram quod esset optima, et supposit humerum suum ad portandum (crucem) et factus est tributis serviens*, Gen. XLIX. Quæ res aliquatenus saltem adumbrari exemplo potest. Scribunt historici gentiles Agrippinam Domitii Neronis matrem, dum ambitiose nimis imperium illi astrueret, Chaldæos sciscitatam an imperaturus esset filius, imperaturum audisse, verum ita, ut matrem interficeret. Tristi hoc responso nihilo flexa mulier: *Occidat me*, inquit, *modo imperator fiat*. Ad hunc vere modum Dei Filius tanto desiderio cupiebat eruere nos e potestate tenebrarum, atque a morte æterna transferre in læcem et cœlestem beatitudinem, ut tametsi norat aliter id fieri convenienter non posse, nisi ipse innumeris se injuriis, irrisionibus, verberibus et morti exponeret, hæc omnia perferre non dubitavit. Quis autem spiritus non deficit hic in tantarum rerum consideratione: Deum velle vendi ut servi ejus improbi redimantur? Deum velle ligari, ut servi incolumes sint et vivant?

Sed nonne vita Filii Dei dignior et præstantior

erat, quam salutis totius generis humani? Ad quid ergo pretiosius pro viliori dedit? Respondet, Christum non tam attendisse ad mortem suam, quam ad perpetuam hominum damnationem. Licet ergo vita ejus præstaret toti humano generi, sciebat tamen Dominus mortem suam et passionem brevi duraturam, hominum vero damnationem fore æternam; unde passio ejus *torrens* vocatur in ss. II. infernus autem *aquæ intolerabilis* seu *sine fundo*, ut vertunt Septuaginta in Psalm. CXXIII. Quod si David mori optabat pro filio suo Absalone, morte temporali, quia nimirum satis patebat, filium mortuum esse non tantum corporaliter sed et spiritualiter, adeoque in æternum damnatum, facile intelligimus voluisse etiam Christum mortem subire temporaneam, ne æternum nos moremur.

VII. Tertia, eaque primaria et ultima causa, in qua cæteræ omnes fundantur, sunt peccata nostra. Hæc enim nisi fuissent, neque Dei Filius morti se obtulisset, neque Deus Pater mortem Filio decrevisset, neque Judas tradere, neque Judæi ei nocere, neque Pilatus eum condemnare potuissent. Quis enim tantæ potentiae fuit unquam ut posset Filium Dei Altissimi supplicio et morti subicere? Quid potuisset Judas? Quid Judæi? Quid Pilatus? Quid Rom. imperator? Annon sæpius ostendit Christus, quid posset, si moliri aliquid vellet, contra homines? Quid justitiæ divina, quid potestas tenebrarum, quæ nihil in eo pœna aut morte dignum invenerunt? Nullæ spinæ quantumvis acutæ, nulli clavi quantumvis duri, nulla flagella quantumvis aculeata vulnerare aut penetrare potuissent carnem illam, nisi peccata nostra fuissent. Hæc illum vendiderunt, ligarunt, captivarunt, conspuerunt, verberarunt, crucifixerunt. Necdum intelligis qua ratione? Pone filium aliquem optimorum et honestissimorum parentum contumacem et rebellem eo malorum abire, ut furti reus a lictoribus deprehendatur et capiatur, brevi suspendendus. Quid agant optimi parentes? Filium suspendi patiantur et videant? At quam hoc grave vulnus cordibus illorum infliget? Filium ergo redimant? Sed pecunia ingens petitur, et tantæ non suppetunt opes, nisi omnibus venditis ad extremam redigi pauperiem velint. Quam durum est hoc telum? Quis hic non lamentabundus dicet filio illi: *Heu te hominem perditum, in quantam calamitatem conjecisti parentes tuos? Eligitur itaque paupertas et filius redimitur*. Quis hanc calamitatem fecit; filiusne an parentes? Annon filii improbitas? Eadem prorsus ratio cum peccatis nostris. Ipsa enim sunt, quæ Dei Filium ad extremam redegere

pauperiem et calamitates illas omnes quas perpessus est: alioqui expectabat nos patibulum tartareum, æternum.

Quando igitur invenimus reum tam immanis sceleris, primo, commisereamur Christo qui pro alieno debito tam indigne periit; deinde cogitemus quantopere indignari peccatis, imo nobis ipsis debeamus. Recolite memoria, quid dixerit olim David, cum audiit a Nathan, divitem quemdam abstulisse pauperi oviculam, quam habebat unicam in sinu suo requiescentem, etc. quid enim dixit: *Vivit Dominus, quia filius mortis est, qui fecit rem hanc*: sed postea a Nathan audiit: *Tu es ille vir, etc.* Quid quaeso abstulit Deo Patri unicam ejus Filium et quis occidit? *Tu es ille vir*. Qui est qui innocentem sanguinem fudit? *Tu es ille vir*. Quare si nunc omnis generis mala, cruces et tribulationes in caput tuum veniant, digna factis recipis. Et mirum profecto est, si non omnes creaturæ pariter in te consurgunt et jaculantur lapides (quemadmodum Davidi exulanti fecit ille Semei) unaque tibi occinunt: *Egredere, egredere vir sanguinum et vir Belial: et ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es*, II. Reg. XVI. Verum quia peccatum, ut vidimus, est, quod hanc noxam proprie dedit et peccatorem dementavit, irascamur ad extremum omnes et singuli peccatis, eaque detestemur cane pejus et angue. Dicamus eis cum patriarcha Jacob: *O te feram pessimam, peccatum, quæ devorasti Filium Dei! O te bestiam agri, o belluam immanem, quæ comediti eum! Devorent te corvi de torrentibus, comedant te filii aquilæ. Pereat dies, in qua ortum es, et nox in qua conceptum es. Dies ille vertatur in tenebras: non requirat eum desuper et non illustretur lumine. Obscurent eum tenebræ et umbra mortis, occupet eum caligo et involvatur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, etc.*

CONCIO IV.

DE CIRCUMSTANTIIS PASSIONIS DOMINICÆ.

- I. Quis patitur: 1. Deus. 2. Innocens et justus. 3. Summus benefactor. — II. Pro quibus: 1. Pro vermiculis terræ. 2. Pro perditis. 3. Pro inimicis. — III. Quare patitur: 1. Ob meram bonitatem suam. 2. Ob misericordiam. 3. Ob charitatem suam.

THEMA.

O vos omnes, qui transitis per viam attendite et videte. Threnorum I.

Horrendum et inauditum facinus hodie per-